



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suavis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XI. Ecclesiastici Ordinis in Germania emendatio, habita à Legato  
Ratisponae, complurium Principum consensu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

1524.

conuocandum decreuissent, cuius conuocatio ad Pontificem, propositio verò ad se spectabat: at longe grauius, quod Conuentum, quin potius profanum Conciliabulum Spiræ indixissent, vbi Religionis argumenta, per magnam Apostolicæ Sedis iniuriam experderentur. Semper autem in iis literis prae se tulit sensa veteris Fidei studiosissima, horrendis execrationibus in Lutheri personam atque doctrinam inuectus. Postmodum verò spopondit, quod illis, quantum æquitas ferret, gratificaretur, aucturum se cum Pontifice, vi Concilium pro eo ac par eset Tridenti cogeretur, vbi primum sibi licuisset illi interesse, ut in animo habebat: interim eos iubebat, denuntiatis Edicti Wormatiensis proenis, Edictum ipsum oblequerter exequi, & ab illico Spirensi Conciliabulo abstinere.

• 18. Iulij  
an. 1524.

Hasce literas Cæsar ad fratrem misit, cum arcanis mandatis, ve eas Principibus redderet: vbi obtemperaturos prænosceret, quod si eas contempturos putaret, apud se retineret, perscripta ad Pontificem suscepit consilij necessitate. Ferdinandus literas reddere statu duxit. Verum ut facilius est impedire, quam agere, ita solùm in eo Cæsari obtemperatum est, quod secundo loco de omnino Spirensi Concilio iniungebatur; adducta à Germanis ad obseruandum Edictum Wormatiense insuperabili difficultate.

## C A P V T XI.

*Ecclesiastici Ordinis in Germania emendatio, habita à Legato Ratisponæ, complurium Principum consensu.*

**L**egatus interea, quod suas partes quantum posset expletet, emendaretque si minus vniuersam Germaniam, eorum certe Principum ditiones, qui nec hæresi corrupti, nec politice commodi illecebris irretiti, ad vera Religionis incrementa confitebant: quod etiam palam faceret, bonam Germaniaz partem adharrere Pontifici, eiusque mandata tamquam rationi publicaque saluti consentanea satis agnoscere, Comitorum Principes, qui secum consenserant, Ratisponæ collegit. Hi fuere Ferdinandus Cæsar frater, eius loco apud Germanos imperitans, Cardinalis Archiepiscopus Salisburgensis, Guillelmus & Ludouicus vtriusque Bauariaz Duces, Episcopus Tridentinus Administrator Ecclesiae Ratisponensis, & Procuratores Episcoporum, Bambergensis, Spirensis, Argentoratenis, Augustani, Constantiensis, Basileensis, Frisingensis, Brixinensis, & Administratores Passauensis.

2 Hi die 6. Iulij Edictum euulgarunt, quo narrantes, ab utroque Norimbergensi Conuentu fuisse indictum, vt quoad eius fieri posset Edicto Caesareo Wormatiensi aduersum Lutheranos omnes parerent, iusserunt in suis ditionibus omnino illud obseruari, cunctaque veriti antiqua Religionis titus inuertere.

3 Postero die Legatus ex ipsorum consilio & consensu emendationem Cleri promulgavit, eiusque obseruantiam cunctis Germania Ecclesiasticis praecepit. In huius scripturae proemio habetur, magnam hæresis causam fuisse abusus & corruptos Ecclesiasticorum mores: proinde se percupere ad eum vitæ decorum illos deduci, quem Apostolus in ipsis exposcit. Mox triginta quinque, non vero, vt ait Suaus, triginta septem emendationis capita statuuntur. Inter qua multa conducunt ad releuando laicos oneribus tribuenda pecunia: huiusmodi est Quintum, Parochis interdicentes, ne quedam consueta subsidia à populis exigenter: Sextum, sepulta sumptus imminuens: Septimum, praescribens, vt Ordinarij intra sex menses ex Principum profanorum confessione controuerfias omnes componant, de pecuniarum solutionibus inter Pastores Ecclesiasticos, ac subditos exortas: Nonum, quo vetitum est, ne pecunia reciperetur pro absoluendis noxis superiori foro referuatis: Decimum sextum, remouens abusus ab Indulgentiarum questoribus inductos: Decimum octauum, quo praescribitur fidelis expensio atque custodia pecunia à fidelibus collata ad templorum constructionem: Decimum nonum, quo prohibentur impensa quæ Vicarij exigeant pro Templorum atque Altarium consecratione: Vigesimum tertium, quo vetantur Episcopi adire, vti mos erat, tamquam heredes patrimonia, seu bona ex industria parta Clericorum obeuntur intestato: Vigesimum quartum, negans iisdem Episcopis dimidium prouentus anni, cum ea conferunt Sacerdotia, quæ vix hominis alimento sufficiunt, & ex quibus huiusmodi dimidium Roma non exigit.

4 Nullum ex his capitibus narrat Suaus, quippe semper intentus ad inexhaustam æris cupiditatem in legibus Ecclesiasticis ostendandam. Narrat tamen, fuisse creditum, eam morum correctiōnem, instar leuium medicamentorum, aueturam morbum, maiorumque Prästulum tyrannidi vires addituram.

5 Sed quod spectat ad primum: quānam medicorum lege ille didicerat, curationem corporis malè affecti à validiore ac magis purgantiori pharmaco esse inchoandam? quis ignorat ipsorum effatum, prius esse leniendum, deinde soluendum? Præterquam quodd ea

Pars I.

A a

reuerā

1524.

reuerā erant capita correctionis indigentia, ad leuamentum confirmationemque populorum, & satisfaciendum potiori parti posulatorum in libello *Centum grauaminum*; cūm reliqua ad Principum potentiorumque utilitatem referrentur.

Quantum verò spectat ad alterum: si nomine *Tyrannidis* intelligit consuetam atque canonicam iurisdictionem Antifitum, verum quidem dicit, sed falsis vocibus vituit: ea namque disciplina restauratio, ad satisfaciendum populis plurimū conferebat, adeoque eisdem in Religione Praesulūque obtemperatione confirmabat. Quod si nomine *Tyrannidis* intellexerit id quod verè vox illa significat, hoc est, subditorum vexationem ex libidine atque vultate dominantium, exppositus iam tenor carum legum per se facta accusationi responderet.

Ait præterea, reliquos indignè passos, Legatum, ac paucos quodam, sibi arrogasse ad eiusmodi disciplinæ leges contra Collegium sententiam progredi. Verum si Suauis, omnium ratione subductā qui Conuentui interfuerē, eos demat, qui Luthero aperte fauebant, comperiet eorum partem, qui Ratisponæ cum Legato conuenerant, ad totum relatam, hanc modicam certè fuisse, ut postquam conflabatur Principibus amplissimi Dominatus, & Episcopis magnarum Diocesium, qui omnes per animi leuitatem aut angeliam nihil umquam decreuerint.

Sed postrema Suaianæ narrationis calumnia auctior est. Dicit tam Legatum quām reliquos nihil curasse, quidnam suscepta consilia paritura essent; sed solum quo pacto Pontifici satisficeret. An forte huiusmodi viri, videbantur Suaui paraiti quipiam seu Madraculi, qui tam sordidae adulacioni seruirent? Satis est nominate primò, Ferdinandum Archiducem, amplissimis ditionibus impérantem, locumque Cæsaris in Germania obtinentem; denide Bauariae Duces, ac tot Principes Ecclesiasticos, qui suam auctoritatem impenderunt: sed cuncta nos docent, vtra duarum factionum studiosius bono publico consulebat, an hæc adhærendo Pontifici, an altera se à Pontifice sciungendo, simulque efficiendo, ut per diuisionem Religionis Germania in suam viceretur.

CAPUT